

DE VI ET EFFICIENTIA

AQUAE MEDICATAE

IVONICENSIS.

DE VI ET EFFICIENTIA
AQUÆ MEDICATÆ
IVONICENSIS

COMMENTATIO INAUGURALIS
MEDICA

QUAM

CONSENSU GRATIOSO MEDICORUM

ORDINE

UT SUMMI IN MEDICINA HONORES

IN

ANTIQUISSIMA ET CELEBERRIMA

UNIVERSITATE LITERARIA JAGELLONICA

RITE SIBI CONCEDANTUR

SCRIPSIT

Jonatan Warschauer.

CRACOVIAE

TYPIS UNIVERSITATIS

MDCCCXLIII.



Za pozwoleniem Cenzury Rządowej.



VIRO

ILLUSTRISSIMO DOCTISSIMO HUMANISSIMO

JOSEPHO MATHIAE

BRODOWICZ

MEDICINAE DOCTORI

OPHTHALMIATRICES MAGISTRO

CURATORI

UNIVERSITATIS LIT. NEC NON OMNIUM SCHOLARUM

IN REPUBLICA CRACOVIENSI

DECANO

ORDINIS MEDICORUM

OPTIME EMERITO

PATHOLOGIAE AC THERAPIAE SPECIALIS PROF. PUBL. ORD.

item

SCHOLAE MEDICAE CLINICAE

IN EADEM ACADEMIA

MODERATORI

CONSERVATORIS UNIVERSITATIS LIT. JAGELLONICAE

CELSISSIMI PRINCIPIS DE METERNICH

VICARIO.

PRAECEPTORI SUO CARISSIMO

tanquam documentum venerationis. atque grati animi tenuem

HUNC LABOREM

SACRUM ESSE VULT

DEVINCTISSIMUS

Auctor.

PRAEFATIO.

Fons medicatus, qui nobis aquam Ivonicensem largitur, jam ante ducentos annos medicis notus fuit, morbisque diversis adhibebatur; dein injuria oblivioni traditus, nostra demum memoria (gratia sit naturae scrutatoribus) chemiae ope investigatus atque exploratus, ab oblivione vindicatus medicorumque usui commendatus est.

In schola clinica cracoviensi, tam medica quam chirurgica, liberalitate Domini ejus fundi, ex quo fons ille saluberrimus scaturit, egenis aegrotis aqua haec gratis propinata est.

Unde mihi oblata est occasio dataque facultas, vim et efficaciam salutaris hujus aquae in plus centum hominibus variae aetatis, constitutionis etc. foedis morbis diversi generis laborantibus, observandi.

In libello hoc meo, primum historiam hujus fontis, quoad ejus fieri poterit, tradam; dein quas et quales particulas aqua haec contineat, secundum indagationes chemicas Clarissimi Torosievicii *explicabo; quibus expositis nonnulla de Jodo et Bromio materiis chemicis, quibus aqua Ivonicensis scatet, afferam atque his absolutis, morbos indicabo, qui ope aquae hujus curati atque sanati sint, nec non in quibus praeterea commendanda sit etiamsi hactenus apud nos adhibita non fuerit: denique rationem qua adhibeatur, portionem, tempus curationis, cautionesque adhibendas subjungam. Beatus si tenui meo labore Viros, in arte salutari claros, ad vim aquae Ivonicensis perscrutandam, vel ad factas jam observationes cum aliis communicandas excitavero.*

PARS PRIMA.

HISTORIA.

In Galicia, et quidem in regione Sanocensi, in pago Ivonicium dicto 23 milliaria a nostra urbe distante, duo inveniuntur fontes, quorum vis medicata jam ab aliquot saeculis nota fuit. Testantur id antiqui codices manu scripti in bibliotheca Universitatis Jagellonicae servati, atque a Cl. Prof. *Majero* publici juris facti; si quidem inde patet, aquam Ivonicensem a Doctore *Joanne Sechkinio* Premisliensi medico anno 1640 exploratam fuisse, judiciumque hoc de ea vulgatum: „Woda Iwonicka ma w sobie rodzaj kléju, „który *naftą* zową i trochę hałunu, pomocna jest „powszechnie wszelakim chorobom, z przyczyny zi„mnéj i wilgotnéj przychodzącym, lubo to same przez „się najdują się, lubo z ciepłémi i suchémi się mię„szają. A mianowicie pomoc znakomitą z używania „téj wody mają ludzie których trapią zawracania „głowy, i boleści rozmaite, suchoty, paralisz, kurcze, „szumy w uszu, katary, kaszle, dychawice, choroby

„nerkowe rozmaite, zatkania boków, puchliny, pe-
„dogry, i insze członkowe boleści, świerzby, krosty,
„gośce, często ratuje, krótko mówiąc, wody siar-
„czyste, cokolwiek pożytku ciałom chorym czynić
„zwykły, tegoż się spodziewać może po wodzie *Iwo-*
„*nickiéj;* ale więcéj i pożyteczniéj ta niż prosta siar-
„czysta dla potężniejszéj jest mocy. Sposób używa-
„nia jéj taki jaki i drugich cieplicznych bywać zwykł,
„to jest, pijać ich kąpać się w nich. Tę trudność
„tylko imo insze ta woda ma, że nie można jéj do-
„stać ile komu potrzeba. Gdyż czasem może jéj
„być wielom dosyć, a czasem i jednemu nie masz co
„zażyć. Mianowicie na nowiu i na pełni bywa jéj
„dosyć. Ten Iwaniec jest na Podgórze w powiecie."

In tabulis vero ecclesiasticis Ivonicensibus documenta reperiuntur, lingua latina conscripta, quae nos edocent, aquam hanc initio seculi decimi et septimi in usum vocatam fuisse. Nam quod Cl. *Torosievicius* in opusculo quod inscribitur: Die Mineralquellen zu Iwonicz in Königreich Gallizien „dicit: In „den Kirchenakten des Dorfes Iwonicz finden sich „authentische Beweise, dass der Werth dieser Quel-„len schon im XVten Jahrhunderte bekannt, und auch „von entfernten Gegenden sehr besucht und benutzt „worden war „et postea addit:" wie dies durch die „vom 3ten Juni 1639 datirte in lateinischer Spra-„che verfasste Beschreibung, über den Zustand der

„Kirchen der Przemisler Diözese etc. bekräftigt wird“ error is typothetae tribuendus esse videtur; siquidem constat, a seculo decimo quinto usque ad decimum septimum, nulla inveniri scripta, in quibus de hoc fonte ulla reperiantur vestigia; codex vero manu scriptus Ivonicensis, nomine atque sigillo Reverendissimmi Domini *Frederici Lembecii* Vicarii in Spiritualibus, Doctoris Stae Theologiae atque munus a secretis Regis explentis, insignitus, haec inter alia continet:... „adde etiam insignem Domini erga istam Parochiam favorem et benignitatem, intra enim fines ipsius; reperiuntur fontes aquae perpetuo scaturientes, medicinali virtute celeberrimmae, quae ad speciem sunt colore aquae pluvialis ad citrinitatem accedente, temperamento frigido, odore quasi succini combusti, naphthae permistae, unde a pulvere tormentorio, papyrove accensa immissis ignem concipiunt, nec facile flammam dimittunt, nisi frondibus pini diu multumque agitatae fuerint et turbatae. Ex decreto Medicorum vim habent digerendi, prosuntque arthriticis plurimum, et ventriculum confortant; conciliantque edendi appetitum, ad eas e toto pene Regno Poloniae et oris externis, Hungaria potissimum quasi ad aquas Silöe, vel piscinam probaticam, ingens quotannis confluit multitudo, et suis experimentis aquae illustrans naturam, paternae Domini providentiae cantare praeconia nunquam cessat. Regnate igitur demum *Vladislao* quarto re-

ge Poloniae fons iste a medicis jam in morbis adhibitus fuit."

In actis vero Eruditorum, quae anno 1694 Lipsiae in lucem prodierunt, reperiuntur literae *Conradi* Archiatri reginae Poloniae ad *Dionysium* medicum francogallum missae quas cum lectoribus communicare non dubitamus:

„Descriptio curiosa fontis cujusdam inflammabilis „et Medicinalis in Polonia, superioribus annis reperti, „jussu regis Polonorum Serenissimmi per Dominum „*Conradum* Regiae Archiatrum ad Dominum *Diony-* „*sium*, Lutetiam Parisiorum transmissa."

„In Poloniae minoris Palatinatu Cracoviensi, mons reperitur „Admirabilis" adpellatus, herbis et floribus aromaticis ac odoriferis pariter, ac quercubus annosis et pinis atque abietibus resinosis obsitus, fontibus tam dulcibus quam salinis scaturiens, diversaeque indolis metallis ac mineralibus foetus: in cujus plagae meridionalis medio, scaturigo quaedam aquae limpidissimmae cum strepitu atque vibratione notabili exurgit, cujus quidem ebullitio seu turgescentia cum lunae augmento intenditur, cum decremento remittit. Limus in fundo fontis subsidens, scabiei, arthritidi inveteratae, paralysi, similibus pertinacioribus affectibus medelam adferre dicitur. Aquae odor intra scaturiginem fragrantissimmus et maxime balsamicus observatur, saporem lactis illa aemulatur, suavitatem et

praeter vim medicamentosam, quam diversi equorum morbi experiuntur, homines quoque modo per alvum, modo per urinam evacuat, ita tamen ut illi quos non statim commovet, alacritatem nihilominus et robur singulare inde percipiant, huic ipsius accolae vix unquam morbi cujusdam patiantur insultum, sed longaevi valde, ut plurimum ad 100 et 150 annos evadant. Longius transvehi et sine ulla corruptione diu satis conservari potest, evaporata bituminis nigricantis speciem exhibet, ulceribus recentioribus ac vetustis valde salutarem."

„Nullo intra natales hyemis congelascit frigore, imo quod mirabile, a face propius admota, instar subtilissimmi spiritus vini exardescit, ut flamma super aquae superficiem, instar bullarum agitetur, et subsultet, ideoque fons hic „Ignis fatuus" audiat. Atque hic quidem ignis sponte sua nunquam extinguitur, nisi scopis percutiatur, quaemadmodum ante annos circiter 35 cum accolae accensum extinguere negligerent, per cataractas subterraneas sensim progrediendo, radices arborum et cum his totam vicinam sylvam in cineres redegit, per tres fere annos durans antequam perfecte suffocari posset; a quo tempore publicae etiam excubiae constitutae sunt, quae frivolas ejusmodi accensiones impediant, dum autem aliquantulum flagrat haec aqua, multum sui impetus deponit, intra quatuordecim dies vix recuperandi. De caetero quam-

vis ligna admota brevi comburat haec flamma, adeo tamen subtilis est, ut aquam non calefaciat, sed hausta haec perinde ac Lucretii fons, frigida percipiatur, imo nec ipsa extra suam scaturiginem exardescit, ut in vasis exactissimme clausis asservetur. Inflammabilitatem hujus fontis cunctis superioribus saeculis ignotam, fulmen manifestavit, quod casu eum feriens, eundem accendit. Hinc lignatores ex sylva vicina accurentes, virgultis ex caesis arboribus, aquae summitatem verberando, ignem restinxerunt, a quo tempore aliquoties postmodum, experimenti causa mediante face ardente illa denuo accensa, et virgultorum succussione quoque extincta fuit. Unde factum est ut provinciae illius incolae, coeca credulitate sibi persuaserint, fulmen seu tonitru a prima illa accensione, in profundo fontis remansisse, quod dum egredi conetur, aquam adeo exagitet ut flammam hanc ad ejus superficiem erumpere faciet.“ Rogatus ergo Dominus *Dionysius* de quo supra commemoravimus, sequenti ratione, recensitas hujus fontis proprietates explicat: „Sc. Quod motui lunae motus et agitatio illius respondeat, fieri per communicationem, quae ipsi cum mari cujus fluxum et refluxum a diversis lunae phasibus dependere supponit intercedat: quatenus cataracta subterranea mari et fontibus intermedia ad certam tantum aqua, reliquum ejus vero, ideo quod aequilibrium maris transcedat, aere repleatur. Hinc

quando maris circa plenilunium elevatio maxima canalem hunc irruat, adeoque aërem et vapores inclusos versus scaturiginem urgeat, necessario hanc aquis exuberare: contra si mare luna decrescente subsideat, aquam marinam cum aëre et vaporibus, in aquam co agulabilibus recedentem, fonti huic multum lymphae subtrahere.“

„Virtutes medicas a sulphure copiosiore, tanquam insigni morborum panacea, quo venae hujus montis scatent, derivat; cujus pariter vapores, particulis aqueis leviores nisu atque tendentia sua strepitum atque ebullitionem hujus fontis simulque suaveolentiam praestant, dum ejus crassiores moleculae in limum qui fundum petit, coeant. Bitumen, quod post aquae hujus evaporationem remanet, balsamum quasi sulphuris naturale ait, per frequentiorum agitationem sulphuris et aquae invicem productam. Inflammabilitatem pariter sulphuri, hujusque exhalationibus, ex aqua prorumpentibus, in acceptis refert, ac ideo flammam aquae super natare; percussionibus vero illis, cum virgultis factis, extingui et suffocari; quatenus hac ratione, spiritus seu miasmata illa sulphurea, aqueis particulis, a quibus recedere conabantur, denuo involvant, ita quidem ut his per deflagrationem consumtis, multum virium medicarum perdat aqua eadem. Ideo vero illam extra scaturiginem suam transportatam minime accendi, quod paucae ipsi insint

particulae sulphureae, eaeque aqueis involutae, et impetu atque impulsu fontis destitutae: quibus nihilominus praesentibus, aqua inter fontem omnem frigoris rigorem, per inde ac spiritus vini potentior, eludat."
Rzączynius in tractatu de aquis medicatis, in sectione altera, de thermis inter alia haec habet: „tertius fons ad rus Ivonicz ebuliens, pellit in balneo dolores capitis, frigidas febres, hydropes, caeterosque humores noxios."

Haec sunt quae in codicibus manu scriptis librisque typis descriptis, de fonte hoc saluberrimo dicta inveniuntur. Sed, ut jam supra monuimus, Ivonicii praeter hos duos fontes Jodum et Bromium continentes, tertius reperitur, ferro abundans. Nos tamen de vi atque efficacia illorum tantum, quorum divinae, ut ita dicam, vi multi aegroti valetudinem recuperatam acceptam referunt, locuturi sumus; si quidem hujus postremi fontis virtus medica nobis nondum innotuit. Inter duos hos fontes, jodo bromioque foetos, ceterum sibi similimos hoc tantum interest, quod alter altero valentior est atque praesentior, ut pote qui eadem principia copia tantum differentia, ut exploratio chemica docuit, in se continent.

Transvehitur venditanda in lagenis vitreis (duas libras pondo comprehendentibus) cortice firmiter obturatis cera signatoria circa ostium illitis sigilloque munitis in cujus medio numerus 1 vel 2 inscriptus est,

prouti aqua ex primo vel altero fonte repletae sunt. Aqua haec coloris expers, odoris bituminosi, saporis salsi atque sub amari, ponderis proprii 1,01178; aqua vero ex altero fonte hausta, itidem salsa at minus amara, pondus proprium habet 1,00729.

Aqua haec lagenis rite obturatis, in locis siccis a lucis accessu probe defensis, per aliquot annos servari potest, nihilque de vi sua medica amittit.

Cl. *Torosievicius* subtilem chemicam investigationem horum fontium publici juris fecit in libello, de quo supra jam mentionem feci, ubi historiam fontis enarrabam.

Quo vero melius atque facilius innotesceret affinitas aquae nostrae cum ea, quae *Adelhaidae* nomen tulit, in Bavariae urbe *Heilbronna* scaturiente, simulque ostenderetur, quo inter se differant, adjecit Cl. *Torosievicius* analysin aquae Heilbronnensis.

Centum digiti cubici liquoris obtulerunt:

	I.	II.	Aqua Heilbron.
Aëris hydrocarbonici	2,777.	0,820.	2,50.
Aëris acidi carbonici	30,416.	27,598.	0,50.
Aëris azotici	0,704.	1,240.	
Summa	33,897.	29,658.	3,00.

Ex his jam patet, nostram aquam aëribus abundare, et horum habita ratione aquae Adelheidae praeponendum esse.

Libra vero 12 unciarum, has particulas solidas exhibet:

	Aq. Ivon. I.	Aq. Ivon. II.	Aq. Heilbron.
Natri hydrobromici	0,218.	0,074.	0,186.
Natri hydriodici	0,127.	0,030.	0,561.
Natri muriatici	45,343.	35,398.	22,683.
Natri carbonici	9,778.	6,044.	2,921.
Calcis carbonicae	1,291.	1,100.	0,308.
Magnesiae carbon.	0,499.	0,386.	0,143.
Ferri carbonici oxydulati	0,029.	0,044.	0,035.
Mangani carbonici oxydulati . . .	0,014.	0,020.	nihil.
Terrae siliceae .	0,074.	0,079.	0,080.
Acidi crenici . .	0,058.	0,068.	paullulum.
Bituminis . . .	0,039.	0,024.	
Natri sulphurici	—	—	0,292.
Naphthae	ignotae,	ignotae,	nihil.
Summa	57,470.	43,267.	27,209.

Ex his igitur patet, partium solidarum ditiorem esse aquam nostram, et quidem natri hydrobromici natrique carbonici plus in ea inesse, quam in Heilbronnensi quibus recte vis illius medicata potissimum adscribenda. Uno tantum sale fons noster caret natro sulphurico, ast magna aliorum salium copia vi etiam evacuandi pollentium, defectum hujus compensat.

Aquae etiam medicatae quas Chissingae solum effundit, similes continent particulas, ast ex chemica disquisitione *Kastneri*, hic adjecta patet, eas paullum tantum illarum continere, ideoque etiam vis eorum medica imbecillior est.

	Fons Ragoci.	Pandur.	Maximiliani.
Natri muriatici	62,05.	57,00.	18,24.
Kali muriatici	0,91.	0,25.	0,02.
Magnesiae muriaticae	6,85.	5,85.	3,05.
Ammonii muriatici	0,05.	0,05.	nihil.
Natri carbonici	0,82.	0,03.	0,35.
Calcis	2,50.	5,65.	2,70.
Magnesiae carbonicae	2,50.	1,62.	1,82.
Strontianae carbonicae	paullulum.	paull.	nihil.
Ferri carbonici oxydul.	0,45.	0,45.	nihil.
Mangani carbon. oxydul.	paull.	paull.	nihil.
Lithii carbonici oxydul.	paull.	paull.	nihil.
Natri sulfurici	2,00.	1,75.	1,85.
Calcis sulfuricae	2,50.	0,75.	0,77.
Magnesiae hydrojod.	paull.	paull.	nihil.
Magn. hydrobromicae	0,70.	0,68.	paullulum.
Natri phosphorici	0,17.	0,05.	0,12.
Terrae siliceae	2,25.	1,55.	0,47.
Aluminae	0,18.	0,05.	nihil.
Extracti organici	0,15.	0,09.	nihil.
Aëris acidi carbonici	26,25 dig. cub.	28,85 dig. cub.	30,24 dig. cub.

Inter elementa ex quibus aqua Ivonicensis constat, quibusque maxima ex parte vim suam medicatam debet, praestantissima est conjunctio jodi et bromii cum natro tanquam natrum bromatum et jodatum; haud a re igitur esse existimo, paullulum fusius de his singillatim disserere. Imprimis igitur de bromio summatim, deinde de jodo.

CAPUT PRIMUM.

BROMIUM.

Bromium materia est jodo et chloro affinis, quae a singulari quem spargit putore (βρῶμος) nomen ducit, ex cineribus spongiae marinae, atque spongiae aculatae artae chemica elicitur. Praeterea in est etiam in fonte qui *Crucenaci* in fodina *Theodori* scaturit, in fonte *Adelheidae* qui ex agro Heilbronnensi erumpit, item in aqua *Chissingana;* nostra in aqua maximam efficit partem.

Praeter varia pericula in bestiis, praesertim in canibus a *Franzio, Barthezio, Butzkeo* facto, *Höringius* in semet ipso aliisque hominibus vim bromii scrutatus est.

Vapores bromii secundum *Höringium* salivae, lacrymarum et pituitae in naribus secretionem et excretionem augent; saepeque quum bromio operam daret, coryzam, tussiculam, levemque capitis dolorem una cum vertigine expertus est. Dum vero semel me-

ros ejus vapores aspiraret, celerior facta est spiratio, salivae copia aucta, tussis, doloresque in thorace persensit, interjecto tempore tormina ingruerunt sociis dejectionibus; postridie tamen secunda rediit valetudo, tussicula tantum superstite.

Ad bromii vim explicandam liquore usus est *Höringius* e sex guttis hujus materiae composito semuncia aquae dest. simplicis dilutis. Hujus liquoris quotidie 6 guttas mane jejunus sumsit ex cochleari aquae communis pleno; hic fauces ipsi exasperavit leviaque conflavit tormina. Inde a nono die quotidie portionem singula gutta augebat atque tum praeter illa tormina largiorem etiam observavit salivae secretionem. Ab undecimo die quotidie aliquoties alvum dejecit. Die sexto atque decimo profluvium alvi ortum est; hac atque sequenti die vesperi vehementer angebatur et caput ipsi dolebat, atque morositate adficiebatur. Ubi vero quotidie 20 illius liquoris guttas sumere coepit, tertio jam die profluvium alvi exstitit. Similes species provocavit in alio homine.

30—40 guttae semel tantum assumptae statim diarrhoeam apud *Höringium* excitarunt, una cum molesto ardore atque cupiditate vomendi, saliva in os coiit, respiratio incitata est. Ad haec accessit dolor capitis, punctiones laterum si spiritus altius quam assolet, ducebatur, tussis frequens arida, arteriarum pulsus duri initio lentiores deinde citatiores ita ut 80—85

ictus intra singularum sexagesimarum spatium numerarentur, urinam haud multum citavit liquor ille.

Canis decem hebdomadas natus, cui *Höringius* 8 guttas solutionis bromii linguae instillaverat ubi imprimis actio vaporum bromii in pulmones consideranda est; post tres dies mortuus est. Praecesserunt excessum ejus e vita coryza, lacrymarum et salivae cursus, respiratio citata, tussis, conatus vomendi ejulatus, ictus cordis initio vehementes frequentes, postea lentiores, inordinati, maxima infirmitas, animal toto corpore tremebat, algebat, denique vehementissime convulsum exspiravit. Cadavere inciso *Höringius* pulmones sanguine obrutos vidit, lobi inferiores pulmonum incensi compagem hepatis praeseferebant; illud ipsum etiam sanguine turgebat. Majores portiones bromii animalibus ingestae, gastroenteritidem, paraphrenitidem, hepatitidem induxerunt. In mortuis dissectis, circum pylorum aliquot maculae nigrae sat magnae, tunica pituitosa corrugata tectae, conspiciebantur; hac vero dorso cultri remota, exigua ulcuscula malae indolis in conspectum prodierunt. Experimentis *Höringii* edocemur: bromium in partes epithelio tenui tectas aliquamdiu agens, hoc ipsarum tutamentum delere, iisque e viridi nigricantem colorem inducere, cuti vero canum liquor bromii admotus pilos adussit, locusque hic per reliquum vitae tempus glaber mansit.

Pericula haec et alia bene multa edocuerunt:

1. Bromium merum partes, quas attingit adurere, epithelio orbare, partesque teneras penitus dissolvere.
2. Bromium dilutum vero partes, vivas irritare, postea incendere: atque hoc praecipue in organis respirationi inservientibus observari etiamsi bromium absorptum fuerit.
3. Complexum nervorum exagitat bromium, sanguinem cogit. Utrum vero ipsissimum minime mutatum an tanquam acor hydrobromicus sanguinis massam subeat, nondum exploratum habemus. Hoc tantum memoratu dignum est, quod in vasa iniectum, et ex parte in vapores conversum, per pulmones una cum halitu liberetur.
4. Bromium fibram motricem officinae concoquendi ad contractiones impellit, secretionemque tunicae ejus mucosae auget.
5. Glandulas salivam parantes incitat, urinam vero minime pellit.
6. In ipsis nervis nullam vim habet.

Antidotum bromii fertur esse ammonium vaporis vel liquoris forma corpori admissum; bromium dandum est contra eosdem morbos, quibus iodum adhibetur. Vetant vero usum bromii haec: proclivitas ad inflammationes, irritatio viarum aëris et instrumentorum digestionis, nervorum commotio, sanguinisque profluvia.

Ad morbos curandos hactenus raro adhibebatur bromium merum. *Porcaeus* (Pourché) qui primus bromium et quae ex eo parantur remedia, usurpavit in in adfectubus serofulosis raro mero bromio usus est.— Saepissimae ipsum aqua dilutum propinavit sumendo hujus quadragies tantum quam quantum bromii recepit. Hujus liquoris quotidie 5--6 guttas initio dedit, deinde amplius; 12—13 guttis tribus aquae destillatae unciis solutis, his partes adfectas foveri jussit. Adversus morbum scrofulosum multum valuisse visum est. Eficacissimum vero sese exhibuit bromium struma lymphatica. Sex ipsius guttis aquae destillatae semuncia attenuatis: hujus solutionis mane et vespere quinas guttas in cochleare aquae saccharo conditae propinavit, sensim portionem usque ad 16 guttas auxit. Ad strumam discutiendam circiter 26—30 guttae bromii meri ei suffecerunt. — Nuperrime *Fornetus* aliquot casus chronicae arthritidis bromii ope sanavit, uti ipse gloriatur. Sed quid censendum de ingenti portione, quam quotidie aegrotis suis propinavit? Nam alteri aegroto ingerebat quotidie 52 guttas, summo vero corpori 108 guttas adhibuit; alteri vero 60 dedit et insuper 105 guttas naturali corporis tegumento applicavit.

Meminisse hic etiam juvabit bromium a medicis gallicis pro antidoto strychnii et brucii (caniramii) haberi, et ad sontem harum materierum vim delendam,

vel saltem temperandam ingestum fuisse. *Höringius* vero suis experimentis fretus de hac vi dubitat.

Vim similem bromio praesefert Kalium bromatum, etiamsi non tam vehementer laedat partes, quas adgreditur. Sale hoc *Höringius* etiam usus est ad pericula instituenda, atque una cum *Heimerdingero* vim ejus in semet ipsis tentarunt. — *Heimerdingerus* jejunus semidrachmam in sescuncia aquae destillatae sumsit. Haec salivae mucique secretionem auxit, saporem injucundum Kalio bromato proprium excitavit, qui diu permansit, praeterea aestum attulit imprimis in abdomine percipiendum. Post aliquot horas capitis dolor ingruit una cum vertigine, pupulae amplae factae sunt, ructus crebri, leviaque tormina, flatuum per anum explosio, levis spirandi difficultas. Pomeridie *Höringio* praecordia contrahi videbantur, vehementer languebat atque sitiebat, frequenter ad mingendum impellebatur, alvumque aliquoties dejecit.

Alio tempore drachmam Kalii bromati in sex partes divisam intra 24 horarum spatium merum assumsit. Tum pulsus arteriarum crebriores observavit item vertiginem, sensum caloris in epigastrio, sonitusque ventris ad inferiores partes devolutos. Pomeridie dolor ipsi capitis, cum siti supervenit; ceterum ex facili spirabat, alvumque bis liberam excrevit. Postridie ejus diei levis vertigo tantum restabat, cibique cupiditas extincta, interjecto demum tempore rediit. Sub

longiori eoque quotidiano usu 4—8 granorum Kalii bromati nil singulare observavit *Höringius*, praeter largiorem secretionem urinae. Nuperrime Dr. *Gravius* (Graf) experimenta in novem sanis hominibus instituit, cum solutione scrupuli Kalii bromati in selibra aquae destillatae. Bis die cochlearis mensuram unicuique porrexit: sed quum nullos haec portio praestaret effectus; portionem quotidianam sex cochlearium mensura definivit. Inde patuit: Kalium bromatum cibi cupiditatem augere, alvum mollire, torminibus praecedentibus (semel tantum alvum compressit) lotium citare, quod pellucidum et flavescens esse solet (unus tantum ex his qui Kalio bromato usus erat, justo minus mingebat); nonnulli eorum in lumbis saepius dolorem obtusum sentiebant; denique observavit hoc remedium in integumenta communia plane non agere (unus tantum eorum noctu multum sudabat), neque etiam genitalia, vasa nervosque commovere videbatur.

Porcaeus primus fuit, qui hoc remedio usus est optimo cum successu, dando 4—8 grana intra unius diei spatium, perfricando tumores scrofulosos, testiculos induratos, strumas unguento ex drachma Kalii bromati et sescuncia adipis composito. *Magendius* etiam laudat remedium istud in morbo scrofuloso, si sanguis per menstrua non respondet, in hypertrophia ventriculorum cordis. *Priegerus* ejusmodi unguentum quale supra attuli, profuisse testatur et in tinea ca-

pitis maligna et in herpete exedente, imprimis ingerere vero suadet bromium mercurio nuptum; Noster etiam Cl. *Bierkovius* (Bierkowski) scholae clinicae chirurgicae Moderator ad sananda ulcera herpetica inveterata semel, superiore anno optimo cum successu porrexit quadrantem grani quater die per aliquot hebdomadas, sine ullo alio remedio.

Nuperrime Dr. *Gravius* in decem aegrotis quorum septem habitum prae se ferentes scrofulosum, longinquis adfecti erant impetiginibus, vim salutarem Kalii bromati expertus est, ita tamen ut non solum Kalium bromatum iis daret, sed insuper potionem iis propinaret ex caul. Dulcamarae, rad. Bardanae aliisque communi nomine haematocatharticorum venientibus. Duo hydropici erant, quos ope Kalii bromati sanavit, ubi jam alia diuretica validiora ad irritum assumta fuerunt. Diarrhoea tamen, quae sub usu hujus remedii ingruit, illum intermitti jussit. Unus denique eorum syphilide laborans nullum levamen ex hac curatione expertus est. *Williams* narrat sese tumores lienis discussisse, dando quotidie per sex hebdomadas usque ad 4 menses quaterna grana Kalii bromati. *Eisenmanus* vero de ejus curatione contrarium ferme adfirmat, aegroti enim ex usu hujus remedii haemorrhagiis funestissimis subiiciebantur, citiusque mortis praeda fiebant.

CAPUT ALTERUM.

IODUM.

Materia ista invenitur non solum in plantis, verum etiam in corporibus fossilibus, et quidem speciatim in aliquo lapide argentoso mexicano, et in alio zincoso et cadmioso paullum iodi deprehenderunt chemici. Aqua etiam marina, nonnullae plantae cryptogamae, imprimis e fucorum genere, in his fucus saccharinus, vesiculosus, aliique item spongia marina, oleum jecoris aselli, plus minusve iodi continent. Praeterea etiam thermae carolinae aquae kissingenses, aqua heilbronnensis, iodum natro vel magnesia nuptum vehunt. Nostra quoque aqua multum natrii iodati continet. Nomen suum iodum a graeca voce ἰώδης (violae similis) accepit, quia a calore in vaporem violaceum convertitur et dissipatur.

Observationes medicorum de iodo inter se multum discrepant. Nonnulli enim istud pro remedio valido habent, aliis vero invalidum visum est. Diu latebat causa hujus controversiae, donec tandem *Pereira* eam detexit, affirmans, quod si magna iodi copia assumta nil efficit tum certum est, illud adulteratum esse. Atque re vera nonnunquam Kalium iodatum non parum Kali carbonici fraudulenter ipsi admisti continet. Anno 1829 *Pereira* istud remedium chemice investigavit, et in centum partibus Kali iodati 70° Kali

carbonici se invenisse asseverat. Post eum *Christison* 74,0/0 O'Shaugnessyus 64 0/0 Kali carbonici in Kalio iodato repererunt. Inter pericula a diversis medicis facta *Magendiana* minimam fidem merentur. Is enim drachmam tincturae iodi sine ullo damno in venas brutorum se iniecisse narrat, sed cujus generis haec animalia fuerint, nec verbo tetigit. Praeterea refert animalia ex iodo assumpto vomuisse; ast portionem, quae ad vomitum ciendum adhibita fuerit, non indicavit. Ipse *Magendius* ligula tincturae iodi uno sorpta, nullas expertus est molestias; mentionem etiam facit infantis, qui fortuito casu ligulam tincturae impune assumpsit.

Orfilæ vero experimenta in animalibus facta, memoratu sunt digna. Cani staturae mediocris drachmas duas atque 48 grana iodi ingessit. His vix assumpiis, statim os bestiae spuma subflava repletum est; post quinque horas alvum excrevit; haec autem pro parte coacta flavaque erat, pro parte autem pulticulae subcaeruleae speciem exhibuit, ex qua postrema veneni pars adminiculorum chemicorum ope erui potuit. Pulticula haec sparsit odorem iodi, aestuique exposita in vaporem abiit amethystinum; sublimata vero semidrachmam iodi forma lamellarum dedit. Post horam canis paullum evomuit materiae alicuius helvolae, et iterum post 10 sexagesimas, atque magnopere languere videbatur. Postridie ejus diei cibos po-

tusque respuebat, pronus cubabat ex facili spirabat, quin imo etiam paullisper itemque facile movebatur. Tertio die triste erat animal, cor ejus frequenter pulsabat, in alvo vespere excreta ne hilum iodi reperiri poterat. Septimo die animal mortuum est; cadavere autem ipsius inciso, haec apparuerunt: pars interior ventriculi materia crassa, tenaci subflava tecta, circum cardiam multa ulcuscula, ad maiorem curvaturam ventriculi maculae partim flavae, partim badiae; dempta vero flava illa materia, tunica pituitaria ventriculi incensa visa est. Etiam interior pars intestini tenuis copioso muco flavo sanguine mixto cooperta erat; pulmones collapsi, incisi strepitum edebant; iecur lien et vesica urinaria illibata inventa sunt: Eadem in cuniculis etiam observata sunt.

Jörgius Pr. lipsiensis de Pharmacologia optime meritus, iodi vim etiam aliquoties expertus est et de eo haec habet: Jodum sumtum, imprimis irritat tunicam pituitosam ab ore usque ad anum, intestina commovet: apud homines sanos saporem salsum in ore excitat se et excretionem salivae item cibi concupiscentiam potuumque desiderium auget, motum intestinorum approperat, levia tormina in abdomine ciet, inflationes movet, alvumque solvit. Vis ejus irritans etiam sensorium commune attingit; sed in eo non omnes medici conveniunt, Asmus enima iodo per longum tempus sumto hilaritatem consecutam vidisse narrat

atque vim hanc iodo propriam esse affirmat: contra vero *Gairdnero* anxietatem, dolorem capitis, morositatem iodum induxisse visum est. Nos *Gairdnero* majorem adhibere fidem minime haesitamus; nam in policlinica nostra schola aliquoties a iodo ad strumam debellandam dato, dolorem capitis, praesertim in fronte et angorem inductum vidimus. Praeterae iodum secundum *Jörgium* gravitatis sensum in capite, cum ipsius dolore surdo vagoque affert; ex eo etiam multum sanguinis in bronchos et pulmones irruit, hosce irritat atque incendit: quin imo effectus hic etiam ad tunicam pituitariam narium propagari videtur; nam pituitae se et excretio augetur; in tubum cibarium agens facile etiam vias urinae atque genitalia sollicitat; in nonnullis tantum urina citabatur, coitus desiderium ortum est. Sed vis jodi in has partes non nisi secundaria esse videtur.

De singulari vi Kalii jodati Dr. F. C. *Weinkeus*, medicus vindobonensis haec nobis retulit: Die 17 Augusti a. p. mane hora octava homini tricenario gracili, blenorrhoea urethrae a duobus diebus laboranti, praescripsit semi drachmam Kalii jodati in unciis quatuor aquae dest, com. soluti, singulis horis cochlear hujus sorbitionis sumi jussit. Postridie ejus diei hora quarta matutina festinanter ad aegrotum arcessitus, hunc summopere irrequietum anxiumque invenit, tamque diro excruciatum dolore capitis, ut non multum

abesset, quin in furorem ageretur. Facies ejus valde rubebat. aures punctiones habebant, palpebrae tumebant, vasa tunicae conjunctivae turgebant sanguine, ipsi oculi fluebant, nasus itidem tumebat atque rubebat, socia destillatione liquoris tenuis, decoloris, et vehementibus molestissimisque sternutamentis. Lingua albida erat aegrotus de nare loquebatur vehementer sitiebat, et cum his omnibus gravis coniuncta erat febris. Causa igitur proxima harum molestiarum erat inflammatio tunicae mucosae narium ejusque propaginum, sinus frontales et maxillares vestientium, usque ad ipsas choanas. Quia nulla causa hujus mali praeter Kalium iodatum erui poterat, hinc omnis culpa in illud *Weinkeo* coniicienda esse videbatur. Jam primum cochlear illius potionis medicatae; moleste tulit aegrotus, altero vero assumpto, horrore correptus est, et post unum quodque eorum nausea horrorque ingravescebant, donec morbus commemoratus prodiit. His igitur perpensis et ratione in super habita observationis in nosocomio vindobonensi factae, quod iodum initio tussiculam aridam movet quacum postea sputa viridicantia eiiciuntur: *Weinkeo* videtur, quod iodum imprimis tunicam mucosam narium et bronchorum adficit et in hac incommoda excitat ad inflammationem catarrhalem revocanda. Curatio molestiarnm allatarum simplex erat et efficax. *Weinkeus* enim precepit aegrotanti validam potionem catharticam

e sale amaro, praeterea sinapismum cervici imponi pedesque aqua calida lavari jussit cui farina sinapina admista erat.

Iodum sumtum partes, quas attingit erodit atque dissolvit, cum hydrogenio ex earum partium discidio obtento societatem init, et postea non amplius tanquam iodum agit, sed tanquam acor hydriodicus: quod experimenta *O' Shaughnessyi* docuisse videntur, si quidem canis magna iodi copia ipsi ingesta, post quadrantem horae evomuit materiam quae ne hilum iodi, sed multum acoris hydriodici (ut disquisitio chemica docuit) continebat. Pleniores iodi portiones sumtae ardorem, dolorem stomachi, vomitum et deiectiones inferunt, maximae vero portiones veneni erodentis vim habent, cutem aliasque membranas chemice immutant, illa luteum ducit colorem, prurit, et serius ocius cuticula solvitur. Praeterea iodum nervos vehementer commovet et actio iodi in gangliis exorsa ad ipsum cerebrum pertinet; coitus appetentiam movet, vitam motricem ita exagitat, ut febrem incendat, cutem calefacit, musculisque insolitum impertit vigorem; menstrua trahit, haemorrhoides et sanguinis cursum ex utero et pulmonibus proritat; maximam vero vim in vasis habet lymphaticis; quae eum in modum concitat, ut nonnullae partes corporis penitus contabescant et deleantur. Hoc imprimis de glandula thyreoidea, de mammis, et ovariis constat. Similem vim declarat in glandulis conglo-

meratis; secretionem largiorem in cute renibus glandulis salivalibus excitat. Minutae portiones iodi sensim effectus ejus proprios praestant; cognoscuntur e digestis tumoribus glandularum. Quae vis damnosa mox apparet, si pleniores portiones exhibitae fuerint; usus longior infert tabem nervorum, in hominibus praesertim teneris febrem iodicam dictam inducit. Tremor membrorum, nictitatio titubatio, palmaria sunt huius febris signa, ex quibus nervos vehementer laesos esse cognoscimus; concoctionem vehementer turbatam modo fastidium cibi, modo voracitas inexplebilis, alvus mox adstricta, mox fusa indicat. Ad haec accedit febris cum aestu corporis, impetus sanguinis in varias partes, dolor capitis, anxietas, punctiones in pectore, haemoptysis et signa tabis pulmonum floridae, inusitata agilitas nervorum, proclivitatem ad spasmos et animi defectionem, somnus irrequietus, sensuum medacia, tristitia, macies; glandulae contabescunt, oculorum aliorumque sensuum acies praestringitur; tandem hydrops vel tabes nervorum miseros exanimat.

Jodum igitur nocebit aegrotis, quorum nervi vel vasa molles sunt vel commoti, vel haec illique, quos sanguinis profluvium ex pulmonibus, utero, ano, vel alia quadam parte male habet, hominibus plethoricis, qui iam diu tussiunt vel sanguinem exscreant, qui stomacho sunt imbecillio, vel tabe consumuntur; fe-

minis uterum gerentibus, hominibus teneris atque proceris, tabi pulmonum obnoxiis. Convenit autem torpori vasorum, vel maxime si vitium istud quadam excretione cohibita coniunctum est.

Ad iodi vim damnosam delendam adhibenda sunt medicamina e prosapia mucilaginosorum; praeterae sanguis etiam detrahi debet. *Gairdnerus* ad componendas turbas nervorum a iodo excitatas, opium, morphium et lavationes aquae commendat. Nonnulli suadent victum tenuem, ambulationem sub divo, *Heyfelderus* aquas medicatas martiales acore carbonico foetas quam maxime laudat. Inter morbos adversus quos iodum et Kalium iodatum usurpatur primum tenet locum:

1. Struma lymphatica, doloris expers; contra vero in struma inflammatoria, in struma aneurysmatica, ab hoc medicamento nil plane sperandum, imo ne noceat timendum. *Coïndetus* genevensis primus fuit, qui iodum strumae cum successu adhibuit, aliorumque medicorum animum ad hoc remedium advertit. Delet iodum strumam post plures hebdomadas; mollitia tumoris et formicatio in glandula tumente nuntii proximi abitus mali, eodem fine tinct: vel unguentum infricatur anticae colli parti.

2. In *hypertrophia* praecipue mammarum, *Magendius* in hypertrophia cordis in nosocomio *Salpétriere* dicto, quod Parisiis est, sine ullo levamine dedit; attamen in nosocomio, quod *Hôtel Dieu* vo-

catur, et apud aegros proprio sumptu a se curatos in hoc malo magnum a iodo allatum vidit levamen.

3. Duritiam glandularum, praecipue jecoris et lienis, *Milliganus* soepius ope trac iodi apud infantes sustulit. Nonnulli medici in scirrho et quod magis adhuc mirandum in cancro iodum commendarunt. *Magendieus* gloriatur sese intra 14 dierum spatium cancrum linguae, magnis portionibus Kalii iodati persanasse. *Ashwell* sex feminas scirrho uteri laborantes eodem remedio sanavit; sed praeterea tonica roborantia atque evacuantia adhibuit; magnisque laudibus suam curationis viam ut saluberrimam extollit. *Dietericus* in tumoribus testiculorum recentibus et inveteratis iodum commendat; nobis tamen tantum ad hos discutiendos commendandum videtur. Ast vehementer dolendum hactenus saltem facta experimenta non sufficere ad vim iodi scirrhum et carcinoma delendi, omni dubio eximendam; magnamque suspicionem *Mageandianae* curationes cancri movent. Quare posterioribus iisque diligentioribus observationibus Coryphaeorum artis salutaris enodationem hujus quaestionis libenter committimus.

4. Praeterea tumores articulorum tum longinquos tum recentes a iodo ingesto, et ipsis partibus adfectis adhibito sanatos viderunt medici gallici et germanici.

5. In morbo scrofuloso non tantum inveterato torpido verum etiam in erethistico *Lugol* medicus parisiensis maxime commendat suam istius morbi curandi viam ope iodi puri et Kalii iodati in aqua dest. liquefacti nec non ope balneorum quibus iodum adiicitur. Plurimum curatione Lugoliana valet victus vitaeque ratio, motus in apertis, quibus *Eagerus* successum curationum jure adscribit. *Baudelocquius* et *Asmus* iodum pro remedio propio habent morborum ossium; praeterea hic contendit, iodum in morbo scrofuloso erethistico plus prodesse quam in torpido.

6. In curando morbo pulmonum tuberculoso, maxima prudentia opus est, facile enim homines teneri a majoribus iodi portionibus febre corripiuntur. Tantum initio hujus capitalis morbi iodum exhibere licet, ubi non nisi leves punctiones pulmones sentiunt, tussicula itidem levis aridaque sine febre aegrum exercet; praesertim dum morbus iste infantes male habet, in quibus effectio (vis formatrix) adhuc viget, utile est iodum una cum victu e solo lacte paneque candido. *Hanckeus* medicus Vratislaviensis ille ipse qui non ita pridem zincum muriaticum adversus syphilidem laudavit in tabe pulmonum iodum praebet atque haec de eo morbo habet: observatur nonnunquam ejusmodi pulmonum status ubi praesertim horis matutinis pituita lenta, pellucens, granula passim continens quandoque subcaerulea tussi ex bronchiis eiicitur. Tales

aegroti non febriunt, ex facili spirant; sed frigida vel humida tempestate repente ingruente, gravitatem in pectore sentiunt, pulmones eorum facile commoventur, fumum vel levissimum herbae nicotianae aut e fornace focove prodeuntem aegre ferunt; paullum pulveris in pulmones eorum illapsi tussim e vestigio excitat, saepe cum sibilo spiritum ducunt atque anhelant, in lecto potius sedent quam cubant, sermocinatio magnam ipsis affert molestiam; potus calefacientes malum exasperant, potiones vero lenientes prouti lac appetunt, quippe quae molestias eorum mitigant. Hic status per aliquot durare potest annos (semper tamen mali ominis est) et levissima occasione data gravior fit. Symptomatis istis apparentibus *Hanckeus* hac forma jodum aegrotis praecepit:

Rp. Kalii jodati gr. decem.
solve in aquae foeniculi unc. quinque
adde aquae amygdal. amar dr. duas
Mucil. semin. lini unc. tres.
Sacchari canariensis unciam
MDS. Quater die in cochlearis mensura aegrotis propinanda.

7. Menses feminarum trahit, chlorosi medetur et fluori albo. *Coindetus* primus fuit qui vim jodi emmenagogam notavit et mox *Brera* illud adversus amenorrhoeam commendavit; deinde *Devergius, Gölis* alii vim jodi in uterum comprobarunt, postremo tamen al-

latus timet ne iodum laedat pulmones. In chlorosi tum profuit iodum ubi cum ferro exhibitum est; successum igitur huiusmodi curationis ferro potissimum adscribendum esse patet. Fluorem album non semper suppressisse visum est. Aquae etiam medicatae iodum continentes adversus sterilitatem, impotentiam virilem, magnam sibi compararunt famam.

8. Prodest etiam in blenorrhoea urethrae, tum chronica tum acuta; ast exemplum triste talis curationis iam supra descripsimus; itaque potius inveteratis duntaxat istiusmodi profluviis adhiberi meretur, sed tum magis convenit ferrum iodatum, quod recente inflammatione excitata malum vetustum discutit.

9. Medetur syphilidi. Primus qui syphilidem iodo curabat *Wallaceus* anglus erat. In 142 hominibus vim eius salubrem expertus est. Tum vero praecipue utimur hoc remedio, quum diathesis scrofulosa intimam cum syphilide init societatem, item in malis evagante vi formatrice insignibus. Si exostoses, tophi excrevere. Cl. Prof. *Bierkovius* 8 aegrotos, quorum duo condylomatibus adfecti erant, tres autem fauces papulis syphiliticis accupatas habebant, etiam iodi ope sanavit. Dedit autem Kalii iodati sesquidrachmam ad dr. duas in selibra aquae dest: simpl. solutas et quater die cochlear hujus potionis sumi iussit; atque hac aliquoties exhausta malum penitus sustulit, ita ut non amplius recrudesceret. Cibi cupiditas sub cura-

tione augetur, ventriculo munere suo alacrius fungente, quo aegri recreantur, lotium abundantius fertur, sudor tantum in nonnullis elicitur, alvus tamen ut plurimum adstricta idoneis remediis moveri debet. Dr. *A. Gusmannus* Leopoliensis etiam in syphilide secundaria mercurii nimio usu mutata cum successu Kalium iodatum adhibet: in ulceribus, excrescentiis, angina in eczemate syphilitico, in malis ossium tophis, exostosibus, osteocopis, carie etc. utilissimum ei visum est. Sequentia sub usu Kalii iodati observavit:

Sex vel octo drachmae ab aegro consumptae urinae secretionem auxerunt atque materia lutea ex ea subsidit, cibi appetentiam auget, alvum adstringit, sensum ardoris in faucibus et saporem in ore molestum excitat, lingua albo tegmine cooperitur, dolor in praecordiis, conatus vomendi ipseque nonnunquam vomitus eietur, febreque aegroti corripiuntur. Tali in casu remedium alvum purgans non salinum has turbas discutit. Cutis praecipue in facie helvola fit et colorem istum etiam intermisso usu Kalii iodati per aliquot menses retinet, postea tamen sponte evanescit. Color ille cutis nuntius est sanitatis redeuntis, nam ubi vanum erat Kalium iodatum, color ille etiam post diuturnum remedii usum haud apparuit. Injuria et immerito iodum et quae exinde parantur medicamenta accusant nonnulli quod maciem inducunt praecipue feminis ipsisque metrorrhagias conflant. *Gusmannus*

ejusmodi mala tantum ab ipso iodo et tinctura iodi excitata vidit, contra vero a Kalio iodato adsumto corpora aegrotorum pleniora reddi, faciemque eorum habitum sanorum recuperare vidit. Apud feminas quibus ex morbo menstrua non feruntur, hoc abacto denuo proveniunt. Remedio hoc *Gusmannus* forma potionis utitur, drachmas duas Kalii iodati in unciis octo aquae dest. simpl. dissolvendo, nullo adiecto condimento. Huius igitur cochlear aegrotis bis die mane ieiunis, atque hora 3a pomeridiana tantundem propinat; victum et vitae rationem similem quam alii medici commendat. Maxima pro parte 15—20 drachmae Kalii iodati sufficiunt ad istiusmodi morbos tollendos, ita ut aegroti intra 40—45 dierum spatium a diro et capitali malo se liberatos esse laetentur. Raro tantum ad morbum pertinacem debellandum 20—30 drachmae necessariae erant. Ad reliquias morbi exstinguendas aegrotis decocto radd. sarsae cum china parumper uti, item aqua lavari iubet, ex qua hordeum tostum (vulgo maltum) coctum est.

10. In salivae cursu ab hydrargyro inducto *Knodius Helmenstreitius* primus fuit qui iodum tanquam praesentissimum remedium commendavit; liquefacit ille 5 grana iodi in drachmis duabus spiritus vini; cui deinceps liquori, adiicit sescunciam aquae cinam: et semunciam syrupi simpl. Hujusque sorbitionis in principio quater in die cochlearis dimidii mensuram pro-

pinat, post 4 vero dies, cochlear plenum toties sumi iubet; portionem iodi sensim usque ad grana 8 auget. *Klugeus* in nosocomio berolinensi quod Caritatis dicitur; in 17 aegrotis, profluvio illi similem adhibuit curationem, optimo cum effectu. Nam lingua partesque ipsi adiacentes mox detumuerunt, salivae profusio cibi fastidio stipata deminuta est atque dolor ab acrimonia illius excitus sese iam remisit, vix aliquot portionibus huius remedi assumtis; quin imo mox rediit etiam ciborum appetentia. Sub usu longiori hujus medicaminis omnes molestiae sensim evanuerunt, et ulcuscula etiam a mercurio inducta si cicatricem antea haud duxerint, sub usu idonei litus vel collutorii lenis consanuerunt. Alius tamen medicus non minus clarus fideque dignus *Heyfelderus* curationem illam a *Knodio* propositam ter frustra ptyalismo adhibuit. *Klugeus* tamen mutavit formulam a *Knodio* commendatam, quia iodum adiecto sale populari vel Kalio iodato facilius in aqua liquescit. Itaque recipit iodum et alterum tantum Kalii iodati e. g. illius grana 4 et huius grana 8 eaque dissolvit in aquae dest. simpl. unciis quatuor nulloque adiecto condimento propinat aegrotis. Etiam Cl. noster Prof. *Bierkovius* cum successu tram iodi dedit contra ptyalismum mercurialem. Hic in iure carnium vel in quadam potione emolliente octonas illius guttas quater de die praebet aegrotis portionesque singulas sensim ad guttas 15 auget. Dum haec

aguntur post 3 vel 4 dies ptyalismus conquiescit, sapor metallicus in ore halitusque foetidus evanescit ulcuscula in ore consanescunt; sed etiam est observatum ipsum iodum ptyalismum provocare, praesertim ubi antea mercurius sumebatur. *Sic Mackal* notavit exemplum feminae, quae ante duos menses ex quadam febre remittente laboraverat, atque tantum hydrargyri sumere coacta est, ut salivae cursus exoriretur. Postea ubi lien ipsi intumuit et obduruit *Mackallis* consilíum petiit, atque hic iodum ei praecepit ad vitium istud tollendum, postquam per 5 dies iodum adhibuit gingivae dolere, tumere, atque rubere coeperunt, linqua muco lento tecta, salivae glutinosae cursus, foetor mercurialis, sapor quasi aes ore teneret et alia ptyalismi signa prodierunt. Propterea iodi aliorumque remediorum usum intermisit *Mackal* atque mox saliva fluere desiit, rursus tamen recruduit malum, longe tamen lenius, ubi aegrotae iterum iodum praecepit. *Buchananus* etiam similia vidit; hinc tantum abest, ut iodum in corpore hydrargyro ut ita dicam saturato vim hujus coërceat, ut eam potius intendat.

11. Medetur arthritidi atque rheumatismo inveterato. *Gendrinus* qui primus commendavit hoc remedium adversus morbum articularem initio tram iodi illiniri iussit artubus tumidis, ad discutiendos tophos arthriticos, quod cum ipsi successit hac felici curatione adductus est ut iodum in ipsa accessione arthri-

tidis aegrotis ingereret; neque eum huius consilii poenituit. In fluxione acuta articulorum praecipue vero in ischiade rheumatica Cl. Prof. *Majer* prospero cum eventu praecepit grana 9—12 Kalii iodati in decocti rad. althaeae selibra soluta, syrupique uncia conditi, portionemque hanc intra 24 horas consumi iubet, minus profecisse in rheumatismo vaginarum nervorum; si autem fluxio febre valida stipatur, tum hac primum temperata Kalium iodatum adhibendum esse monet. Splendidum effectum vidit imprimis in femina ischiade rheumatica laborante; quae tam vehementibus doloribus excruciabatur, ut quilibet vel levissimus motus, dolorem dirum exasperaret. Kalio iodato per 3 dies adhibito, tertio die iam motus dolorem non multum intendebat, ex urina quarta iam morbi die materia coloris laterum subsedit (quo adfectus rheumatici solvi solent) atque sexto iam die aegra in conclavi ambulare potuit.

12. Etiam varia ulcera medici britannici tinctura iodi illiniri iubent praesertim atonica. *Dietericus* talia ulcera sanavit, fovenda ipsa aqua, Kali iodato praegnaci.

13. *Hanckeus* contra ophthalmoblenorrhoeam contagiosam usus est hygrocolyriis Kalium iodatum vel ipsum iodum vehentibns.

14. Nonnulli etiam ad hydropes curandos iodum tentarunt. *Asmus* quidem iodo omnem vim anthydropicam abiudicat; alii tamen prae omnibus *Jahnus*

hanc illius virtutem magnopere laudat. Nam in hydrocele unguentum ex Kalio iodato paratum scroto infricatum malum sustulit; in hydrothorace pluries ipsi utile visum est cum aliis remediis acribus diureticis puta cum hba digitalis, cum rad. scillae, terebinthina, exhibitum, tamen haec medicamenta plus efecisse videntur quam ipsum iodum. In hydrocephalo infantum acuto et longinquo iodum *Jahnus* et aliquot-alii medici hunc imitati iodum cum calomela herbaque digitalis haud sine successu dederunt aegrotis. Sed calomelas cum iodo commistus in hydrargyrum abit biiodatnm et bichloratum; ex quo patet summopere ancipitem esse usum eiusmodi pulverum medicatorum, in morbo, inflammatione innixo, Potius igitur Kalium iodatum tali in casu adhibendum, et quidem eo magis, quum *Röserus* optimum ex eo vidit effectum, in hydrocephalo acuto ubi iam aqua intus coiit. Praesentissimum vero remedium est hydropis ascitae, pessimi illius a vitiis fabricae viscerum inducti. Tum non adeo ex vi diuretica prodest, quam potius causas morbi, puta stases in vena portarum digerendo, tumores viscerum resolvendo. *Baron* et *Gairdnerus* narrarunt de vetulis, iodi ope ab hydrope ovariorum liberatis. Contra hydrocelem *Ricordus* iodum laudat. Noster etiam Cl. *Bierkovius* aqua imprimis e tunica testiculi vaginali emissa, siphone deinceps compellit in illam tincturam iodi aqua communi

dilutam, idque optato cum successu. Quamobrem talem hydroceles curationem valde commendat: malum enim cito finitur neque amplius recidit.

15. Etiam morbis nervorum longinquis iodum adhibitum est imprimis Choreae st. Viti morboque comitiali. Sic inter alios *Franklinus* asseverat, sese puerum comitialem octo annorum ope tinctnrae iodi sanasse, cujus quotidie 120—130 guttas ipsi porrexit. Accessiones epilepsiae initio leniores atque rariores factae sunt; post 5 autem hebdomadas puer ex integro convaluit. Si humorum alius cuiusdam materiae inutilis coitus nervos resolvit tum etiam iodum optimum censetur esse remedium, ut pote quod illa discussa, tollit. In hemiplegia medici britannici et gallici cum fructu magnas dederunt iodi portiones.

Denique *Sauerus* typho vindobonae per populum grassante, Kalium iodatum in aegrotis hoc morbo affectis tentavit. Nulla ratione formae typhi habita, in cerebrali, pulmonali et abdominali, quo vehementiora symptomata urgent, quo magis alvo fusa aegrotus exhauritur, eo magis Kalium iodatum secundum *Sauerum* indicatum est. Dedit initio quotidie grana 10-12 ex decocto rad. althacae, hanc Kalii iodati portionem sensim usque ad duos scrupulos augens, imo sanescentibus etiam aliquamdiu hanc potionem propinari iubet. Ex 136 aegrotis, qui remedio hoc usi sunt, 128 convaluerunt, 8 vero mortui sunt.

Haec circiter sunt memoratu dignissima quae de efficacia iodi et Kalii iodati hactenus innotuerunt. Ex his affatim patet, iodum remediis valentissimis atque uttilissimis accenseri debere; plura tamen adhuc ancipitia esse atque incerta: quae ut dilucidentur vehementer optamus.

Natrium iodatum simili vi praeditum est, quam Kalium iodatum, imbecillius tamen esse fertur prouti omnes sales natrici.

Quia portiones iodi, tincturae eius atque Kalii iodati a medicis exhiberi solitas iam in praecedentibus attuli, hinc de his iterum praecipere supersedeo.

CAPUT TERTIUM.

De vi, quam in corpore humano habet aqua ivonicensis.

Exiguae hujus aquae portiones haustae imprimis nauseam movent, sensumque ingratum in praecordiis excitant, ciborum aversationem gignunt ructubus stipatam picem redolentibus. Majores portiones vero conatum vomendi movent, in hominibus vero delicatulis, praesertim in infantibus qui caeteroquin propter putidam hujus aquae indolem primis diebus ab ea vehementer abhorrent ipsum saepenumero vomitum cient. Praeterea intestina eis murmurant, tormina superveniunt cum sensu caloris in epigastrio, initio inanis desurgendi cupiditas, postea demum aliquoties alvus liqui-

da deicitur; urina flava nonnunquam subrubra copiosius fertur. His majores portiones capitis dolorem gravantem, praesertim in fronte, cibi fastidium, sitim auctam praeterque symptomata supra recensita dejectiones cum torminibus provocant. Aqua ivonicensis diu adhibita appetentiam cibi praestat, sitim modicam facit, alvum initio resolvit, post modum mollit, hominibus tardis torpidis saepius alvum comprimit; urinam vero citat quae tamen indolem suam retinet; in nonnullis tantum hominibus multum sudorem elicit; feminis menses approperat eosque copiosiores reddit.

Vetant usum hujus aquae: proclivitas ad inflammationes; morbi acuti cum febre conjuncti abundantia sanguinis ejusque impetus in pectus; hujus vel alius humoris profluvia inveterata quae jam in consuetudinem abierunt, praesertim e pulmonibus et utero, ut haemoptysis, menstrua profusa, item tempus quo haec fluunt; vasorum nervorumque commotio; proclivitas ad tabem pulmonum vel aliarum partium; denique inusitata mollitia officinae chylopoieticae. Caute etiam hypochondriacis propinanda est; feminis quidem hystericis ob putorem placet, pallidis tamen hoc morbo adflictis non nisi parcius largienda; etiam alvus fusa usum aquae ivonicensis prohibet. Optime vero eam ferunt, infantes in quibus effectio viget, imprimis pleni hominesque haud effeminati, habitus scrophulosi, tumidi ad torporem inclinantes vel plane torpidi.

In quibus morbis cum successu adhibita est aqua ivonicensis?

1. Strumae lymphaticae dolore vacuae praesentissimum est remedium, multaquae in scholae clinicae medicae et chirurgicae diariis notata sunt exempla strumarum intra breve temporis spatium discussarum. Meae quoque curae traditi erant duo homines, hoc vitio adfecti. Primus eorum puella fuit 14 annos nata, quae nondum menstruis purgabatur bene figurata constitutionis lymphaticae temperamenti sanguinei. In infantia variola genuina, tinea capitis et faciei laboraverat, praeterea sanguinis e naribus cursui erat obnoxia; sed hic iam ab anno non amplius provenit. Struma hac ratione eam invasit: Ante sex menses ignota ex causa, ortus est tumor in antica colli parte ubi glandula thyreoidea haeret, duriusculus, recellens non dolens, nec rubens, magnitudine nucis avellanae; qui sensim increscens iuglandis magnitudinem assecutus est. Cutis tumori inducta naturalem prae se ferebat habitum. Tumor parum mobilis, initio nullas puellae attulit molestias; sed interjecto tempore quoties scalas escendebat, toties difficilius spiritum trahebat; tumor vero adeo increvit, ut dimidium pomi aurantii magnitudine aequaret, in duos divisus lobos, quorum dexter magis prominebat, tres digitos longus sed vix sesquidigitum latus; sinister vero magis diffusus et applanatus erat atque mollior, quatuor

digitos latus, unicum vero pollicem longus. Reliquae actiones, imprimis concoctio ciborum et excretiones a naturae lege non desciverunt. Aquam ivonicensem huic puellae profuturam rati, initio quotidie mane, ieiunae binos cyathos propinavimus, semihora interiecta; deinde sensim ad tres quatuor denique ad quinque cyathos progressimus. His per totum mensem utebatur, eo cum successu ut iam quarto decimo die ab initio curationis, tumor magnopere mollue-rit, aegra longe facilius spiraret et ab eo tempore struma magis in dies magisque subsideret, atque post mensem tumor vix ad nucis avellanae magnitudinem remanserit, viginti lagenis aquae per totum curationis tempus epotis. Id tantum notari meretur; aegrotam nostram noctu multum sudavisse, atque multum lotii rufi sine ullo sedimento reddidisse. Ab eo tempore iam sesquianno exacto nullum minutus ille tumor capit incrementum, puellaque haec optime valet.

Alter strumosus mense Januario huius anni in commentarios diurnos nostrae scholae policlinicae medicae relatus, puer erat 15 annos natus tiro caementarius, jam ab ineunte aetate tinea porrigine tumoribus glandularum aliisque adfectubus laborabat, quae ad morbi scrofulosi progeniem spectant, quem nondum exstinctum esse, ipse habitus aegroti significabat. A mense observavit anticam colli partem magis atque magis tumere socio gravitatis sensu in hac parte, rau-

citate et anhelitu, quae molestiae noctu ingravescebant. Praeterea tussis urgebat arida una cum difficultate spirandi cubitusque tantum supini ipsi concessi erant. His perpensis praecepimus aegro primo curationis die remedium alvum purgans: pulverem ex granis duobus calomelae et granis 15 radicum ialapae confectum, qui praestitit effectum desideratum, alvumque ter movit, deinde quotidie binos cyathos ad quatuor uncias capaces aquae ivonicensis haurire iussimus, quam lubenter sumebat. Jam post hebdomadam tumor initio iuglandis magnitudinem aequans, duriusculus, mollior factus est; altera hebdomade exacta ambitum tumoris multum imminutum observavimus, tertia denique ex toto evanuit, adeo ut ne vestigium quidem ipsius superesset. Quatuor tantum lagenas aquae ivonicensis is per totum curationis tempus consumsit, alvumque pulticulae similem quotidie bis excernere solebat, urinam copiosiorem ferebat coloris naturalis, at nil plane sudabat. Majores vero strumae jam diu durantes, longiori ad ipsas discutiendas opus habebant temporis spatio, quin imo per aliquot menses usus aquae continuari debuit; nonnullae non penitus evanuerunt, sed fere omnes molliores factae sunt, atque minores. Ex his igitur patet, aquam nostram in turpi illo adfectu opitulari, ideoque iure meritoque commendandam esse.

2. Medetur etiam morbo scrophuloso, praesertim cum torpore coniuncto, variisque ejus formis, sic multas debellavit inflammationes oculorum longinquas scrophulosas, ad quas sanandas varia eaque valentissima remedia antiscrophulosa frustra ac nequidquam tentata fuere. In ophthalmiis tamen acutis nil proficit, imo malum assumta hac aqua exasperatur tum solum utilis si vis inflamationis remediis antiphlogisticis infracta est alvoque aegrotanti medicamentis purgata temperantibus, ad humorum vim in intestina alliciendam. Ill. Prof. *Brodowicz* homini tricenario, scribae munere fungenti, blepharitide scrophulosa iam a decem annis laborante, eandem aquam commendavit; atque iam decem lagenis consumtis tunica conjunctiva palpebrarum, quae admodum rubebat expalluit, magnaque lucis formido multum temperata est; alterum tantum vero exhaustum malum penitus abegit. Praeterea in schola clinica medica et chirurgica aliquot infantes ophthalmia scrophulosa laborantes, eadem ratione curabantur, atque nonulli eorum ex toto convaluerunt, alii vero saltem levamen insigne sunt experti. Duritiae parotidis ope aquae ivonicensis resolutae unum tantum exemplum observavi, in aliis vero casibus aqua ista tumorem quidem mollivit, penitus tamen non discussit. Etiam impetigines indolis scrophulosae in his tineam non tantum lenem sed etiam malignam illam decalvantem ab ea-

dem aqua deletas vidimus. Porriginem itidem scrofulosam in puero decem annorum, intra quinque hebdomadum spatium in schola clinica medica ipse diligentius observavi. En brevem ejus historiam.

V. D. filius custodis oriundus Cracovia suburbio quod Smolenscium dicitur, in domicilio humido degens, temperamenti sanguinei, constitutionis lymphaticae, bene figuratus, prima aetate variolas vaccinas insitas habuit, morbillis perfunctus est, tinea capitis sicca quotannis laborabat, praeterea glandulae colli soepenumero ipsi tumebant, dolore tamen vacabant atque sponte evanescebant. Denique ante tres annos febre intermittente tertiana correptus est, quam hydrops ascites excepit; uterque tamen morbus in nostra schola policlinica feliciter sublatus est. Ante quinque vero hebdomadas in facie atque fronte prorupuerunt papulae minutae ad milii magnitudinem, hae pruriebat vix tamen rubebant, novaeque in dies atque frequentes proveniebant. Post quatuor circiter dies in medio uniuscuiusque papulae vesicula orta est liquore pellucido repleta, qui post aliquot dies turbari coepit et flavescere. Pustulis illis ruptis, liquor spissus sufflavus ex iis effluxit, qui post quam exaruit, crustas exhibuit squamarum specie decidentes. Ad hoc usque tempus, aeger nullis usus est remediis. Saluberrimum consilium ab Ill. scholae clinicae medicae Moderatore petens sequentem exhibuit statum: Frons et genae a

pustulis obsessae erant, ad magnitudinem lentis secum confluentibus, liquorem spissum helvolum, foetidum secernentibus; praeterea per superiorem frontis partem dispersae erant papulae rubrae atque prurientes. Ceterum cutis reliquis partibus corporis inducta, integra erat; abdomen grande duriusculum, reliqua munera a naturae lege non deflexerunt. Initio curationis a duobus poculis facto, aucta paulatim portione aquae ivonicensis ad quinque cyathos, eadem per totum mensem usus est. Quinque et viginti lagenae intra hoc temporis spatium epotae, impetiginem penitus deleverunt, et duritiam ventris discusserunt. Pityriasin semel sustulit pluries vero vitium istud plus minusve emendavit. Etiam herpetibus originis scrofulosae, in his herpeti crustoso, squamoso, furfuraceo, praeclaro est praesidio, ast curatio eorum longius durare solet, neque tum facile carebimus lavationibus calidae aquae, ipsaque assa sudatione; multa exempla herpetum hac ratione sanatorum notata sunt in actis diurnis scholae clinicae medicae et chirurgicae. Egomet ipse anno priore in schola clinica medica curavi puerum 13 annorum, cui iam a mense utrumque brachium ab herpete squamoso occupatum erat. Hunc iam quatuor lagenae aquae ivonicensis depulerunt. Praeterea eandem aquam in acne scrophulosa faciei pluries profecisse vidimus. Adversus tabem meseraicam, pusionibus cum lacte

data, ita tamen ut initio tantum exiguae ipsis darentur portiunculae, mox profluvium alvi cohibuit, quo corpus misellorum magnopere extenuabatur, quin imo ventrem illis duravit; universe pravam concoctionem et vitiosam confectionem emendavit; quo facto stases in glandulis meseraicis resolutae sunt, totumque aegrotantium jam commodius integratum speciem sanitatis praebuit. Sed aliarum etiam glandularum sub maxilla, in collo et inguinibus collocatarum tumores duros, brevi spatio mollit et saepissime etiam discutit. Ulcera scrofulosa mala, cum carie vel spina ventosa coniuncta (super quae Ivonicio limum circum fontes collectum superiniiciunt) sub usu aquae nostrae manifeste emendantur. Semel Ill. Prof. *Brodowicz* in schola clinica medica ulcus scrofulosum aqua ivonicensi diligenter foveri iussit; et post aliquot hebdomadas orae ipsius durae et callosae molliores sunt factae sinubusque caruncul is repletis, cito cicatricem duxit. Coxarthrocacen Cl. Prof. *Bierkovius* scholae clinicae chir. antistes, pluries huius aquae ope levavit, otorrhoeam vero scrofulosam non semel repressit. Ozaenam eiusdem indolis, priore anno a me in schola clinica medica curatam, aqua de qua res est, meliorem fecit. Brevem huius morbi historiam hic annecto.

C. M. 16 annorum virgo, in pago *Kościelniki* nata, famula in pago quem nigrum vocant (pol. Czar-

na wieś) prope Cracoviam in domo sat sicca habitans temperamenti sanguinei, constitutionis lymphaticae, corpore quadrato praedita, quae tunc menstruis nondum purgabatur, jam in infantia variolas habuit, e quibus sola tantum vi naturae medicatrice adiuta, feliciter evasit, item catarrho pulmonum soepe laborabat; praeterea obnoxia erat otalgiae, saepeque ipsi glandulae colli tumebant, atque pluries pure orto, istud erupit, quo facto malum abiit. Denique ante tres menses nasus ipsi intumuit, atque indoluit, praecipue circa pinnas narium, nonnihil etiam rubere, et pituita modo tenuis, modo spissa putida, per nares profluere coepit, quae postquam exaruit, crustas exhibuit illas claudentes, aegram de nare loqui cogerent (quod vitium vulgo vocem adpellant nasalem), Aër tamen sine difficultate per foramina narium trahebatur, attamen eadem via ore clauso, respirando redditus foetebat, ceterum aegrotam in schola clinica explorantes, nasum eius non multum rubere et tumere, glandulae tamen in collo nunc denuo tumentes, durasque invenimus, nec tamen dolentes; reliqua naturae legi conformia erant. De indole huius mali scrofulosa non dubitantes, efficaciam aquae ivonicensis adversus illud tentare decrevimus. Quindecim ejus lagenae exhaustae; profluvium humoris illius foetidi coërcuerunt atque foeditatem oris multum emendarunt, tumores glandularum in collo discusserunt, alvum eti-

am quamdiu aqua ista utebatur aegra, bis quotidie eamque mollem excernere solebat; ast labor domesticus ipsi ut pote quae ancillae partes implebat, aqua saluberrima longius uti non permisit.

3. Morbum tuberculosum pulmonum ab aqua ivonicensi saltem mitigatum vidimus; et adversus hoc malum magis quam ipsum iodum commendari meretur, quia non tam vehementer quam hoc aegrotos afficit, sales enim quibus scatet, iodi vim noxiam multum temperant, nihilominus tamen in hoc malo cautissime adhibenda; maxime idoneum est, exiguas huius aquae portiunculas cum lacte bubulo vel cum sero lactis dulci propinare tabidis. Sed victus etiam morbo scite accomodari debet. Universe cibi faciles ad concoquendum, imprimis lactentia aegrotis largiantor; potus de lenientium genere sint oportet; saluberrimus est aër purus, regionum editiorum, quo etiam inter ambulandum frui possunt gravissimo morbo conflictati, dummodo sollicite caveant, ne motu isto infirmum corpus fatigent. In eiusmodi casu consultum est Ivonicium petere, nam regio haec aëre commendatur pulmonariis saluberrimo. Si forte in ipsa curatione sanguinem exscreat tabidus tum auxilia adhibenda sunt quae medico profutura videntur; ante omnia aquae usus intermitti debet. Nam probe memores nos esse oportet gravissimi moniti expertissimi *Barezii* berolinensis, praecipientis: quod si facies pulmonarii

pallet a iodo esse abstinendum, pallor enim ille signum est impetus sanguinis in exta. In instituto clinico medico ante duos annos occasio mihi data fuit puellam curandi tuberculosa pulmonum labe adfectam; cuius historiam hic narrare libet.

S. W. puella 9 annos nata Cracoviae in sub urbio Kleparz dicto in domo humida habitans, temperamentum sanguineum, constitutionem autem lymphaticam, formam liberalem praeseferens, filia famulae vitam egit miserrimam in infantia variolis genuinis, morbillis, scarlatina, defuncta est. Saepe etiam tumores glandularum in collo, praecipue vero cervice ipsi prodibant, qui deinde in pus vergere solebant. Abscessus aperti serius ocius concreverunt; unus tamen qui in cervice exstitit turpem reliquit cicatricem. Morbi a quo in schola clinica liberari voluit sequens erat cursus: Jam ante duos annos vere tussire coepit et incommodum istud continuo ingravescebat. Ad haec accesserunt punctiones in superiori pectoris parte, soepius redeuntes, dein sensus gravitatis sub sterno et in praecordiis, jam diu supini cubitus et in latus sinistrum aegrae commodissimi erant. Octo diebus antequam ad nos venit, cum siti modica et fastidio cibi quotidie pomeridie per aliquot horas aestuare coepit, mane vero multus atque glutinosus sudor subsequebatur. Interea aegrotam expaluisse, emarcuisse viresque magis in dies magisque deminutas esse ne-

mo mirabitur, tandem in nostram scholam clinicam adducta de dolore capitis conquerebatur, praesertim in fronte, facies ejus pallebat, lingua humida muco albo cooperta, paullum tamen sitiebat cibumque fastidiebat; thoracem aegrotae angustum invenimus, respirationem citatam, suspiratus statim tussim provocat quae nihil emolitur, tantum mane et vespere sputa trahit pauca helvola, foetida multis granulis ad grani milii magnitudinem intermixta, quae digitis elisa, odorem casei fracescentis spargunt, cor valide et aequaliter pulsabat, arteriarum ictus citati et exigui venter magnus durusque sed sine dolore erat etiamsi premebatur, alvus a duabus diebus non descendit, corpus extenuatum non nimis calebat. Etiamsi indoles mali manifesta esset, tamen aquam ivonicensem aegrae dare constituimus, non quidem illud radicitus delere, sed saltem lenire sperantes. Neque nos spes fefellit. Nam postquam per duas hebdomadas exiguas hujus aquae portiunculas sorbillasset, tussis multum mitigata est, febris plane conquievit, sudor ferme finitus, excretio alvi ad regulam exaequata est. Quum tam miserrima, tertia curationis hebdomadae insuper femur fregisset, hanc suspendere coacti sumus, postea in nostro instituto clinico auxilium non amplius quaesivit, sed post annum in nosocomeo, quod a Sto *Lazaro* nomen tulit supremam obiit diem. Corpus mortuae incisum diagnosin nostram confirmavit; nam non tantum cras-

sum pulmonum tuberculis crudis scatebat, circiter milii magnitudinem aequantibus, sed passim etiam tubercula iam emmollita et dissoluta inventa sunt, e quibus paullum compressis humor flavus spissus foetidus exstillabat. Etiam glandulae meseraicae tumidae durae similibusque tuberculis refertae erant.

4. Rhachitidem aliquoties emendavit ossaque non diu curvata correxit. Egomet ipse in schola clinica medica curavi filium magistri ludi, puerum gibbum trium annorum, temperamenti sanguinei, constitutionis lymphaticae, qui imprimis pane cibario, tuberibusque solani delectabatur iisque sese implere solebat. Prima aetate pus ipsi circum os sacrum abscessit, quod primum post duas hebdomadas, parte adfecta continuo cataplasmatis emollientibus fota erupit, post sex hebdomadas ulcus ad cicatricem venit foedam, etiam in praesenti conspicuam; praeterea aliquoties porrigo ipsum invasit, et paullo antequam in scholam clinicam venit, per tres hebdomadas, humor ei tenuis ex aure dextra fluebat, labium superius soepe nulla data causa tumebat. Ante novem vero menses, in ima spinae parte exstitit tumor durus osseae compagis, immobilis, nec tactu nec pressu indolescens, nucis avellanae magnitudinem habens, hic gressum molestum reddebat, corpore vero tantum paululum inflexo, ilico dolor accidit pusioni. Hic mane gravior esse solebat gressusque difficilior, attamen et vespe-

re, ubi haec incommoda remittebantur, incedens titubabat facileque defatigabatur. Adversus hoc malum iam domi ex consilio alicuius medici per tres menses usus est aqua ivonicensi, semicyathum eius sexies in die bibendo. Quia tamen intra hoc temporis spatium pluries usum hujus medicinae intermisit, hinc nemo mirabitur eam vanam fuisse. Ubi primum in schola clinica conspeximus aegrotum, pallebat, labrum superius tumebat, lingua ejus tersa erat; thorax vitio vacabat, aeger ex facili spirabat; ventrem magnum durumque invenimus, in infima vero parte dorsi tumor in oculos nostros incidit, sesquidigitum longus, latitudine autem digitum non excedens, durus et immobilis, cute integra tectus, colore naturali praedita, tactus is locus levem tantum excitat dolorem, at conatus corpus inclinandi acerbum puero cruciatum commovet, ceterum calor corporis temperatus, cutis mollis proprium exhalabat vaporem, excretio alvi turbata non erat, urinae non multum ferebatur.

His rebus suasimus ut aeger aqua ivonicensi iterum utatur, cibisque tantum levibus vescatur et firmis. Praeterea illum aqua lavari jussimus ex qua furfures cocti sunt, adiecto ipsi sale populari, spinae autem bis in die ligulae mensura infricari linimentum saponato-camphoratum. In nostro clinico, ubi per mensem aquam supra laudatam sorbillabat, haec morbo non multum profecit; tumor tamen, de quo supra

commemoravimus non increvit. Mense praeterito Ivonicium petiit ibique eadem curatio per sex hebdomadas adhibita tandem profuit. Nam licet non omnino sanus tamen melius valens Cracoviam reversus est, ut pote qui corroboratus speciem sanitatis praebebat, tumor autem tametsi parum deminutus, gressum minus impediebat.

5. In spina ventosa aliisque morbis ossium in carie, necrosi, aqua haec etiam commendari meretur, quippe quae in schola clinica chirurgica hujusmodi malis adfectos ad sanitatem perduxit.

Ast in chlorosi et erethistica et torpida tentata, nihil contra hunc morbum valet.

Homini hydrope adfecto quem passivum vocant, a me in schola clinica medica perpetua curato, etiam propinata, at imbecillior quam morbus iste inventa est.

6. Adversus duritiam mammae quae a scirrho non multum aberat, nam longe maior socia, durissimaque erat, hactenus tamen sine dolore, dedit eam. Cl. Prof. *Sawiczevius* (Sawiczewski) feminae vicanae, quae ad tollendum malum istud periculosum iam varia remedia incassum frustraque tentaverat Cracoviae, intra mensem, ubi aqua ivonicensi continuo utebatur, mamma insigniter detumuit molliorque facta est. Utrum autem ab hoc omnino liberata sit, cognoscere non licuit quia rus profecta est, ut aquam salutarem porro biberet.

Ad delendas rheumatismi et arthritidis reliquias, si quid durius in articulis coiit, membraque obriguerunt, si fungus, qui dicitur in commissuris eorum excrevit, his vitiis experiri virtutem aquae ivonicensis nondum data nobis est occasio.

Sunt quidem qui eam commendent adversus varios adfectus officinae uropojeticae, in his contra difficultatem urinae, ad dilatandam urethram coarctatam, ad resolvendam duritiam colli vesicae urinariae, quin imo prodesse quoque in valetudine calculorum perhibeant; item in morbis genitalium; et quidem speciatim in diutino pituitae cursu ex itinere urinae et vulva, in sterilitate et inertia virorum in Venerem (impotentiam vulgo vocant) sed etiam si sanguis per menstrua non respondet; denique tumores viscerum imprimis iecinoris et lienis discutere, obesitatem tollere fertur. Propria tamen observatione efficacitatem aquae ivonicensis in adfectibus recte allatis hactenus comprobare nequeo. Attamen his etiam missis, nihilominus demonstrasse credo, vim atque efficientiam hujus aquae non vulgarem esse, eamque non tantum aquas regionum exterrarum simili vi praeditas, virtute sua aequare, sed etiam iis praestare, primumque inter eas mereri locum. — Jure igitur Ill. Moderator scholae clinicae medicae collegas ad istam aquam saepius morbis adhibendam his verbis adhortatur. „Skutki z nich (de aqua loquitur ivonicensi et szczaw-

nicensi) otrzymane, są nowym dodatkiem do tylu innych już od kilku lat zbiéranych dowodów, stwierdzających potężną ich dzielność, i świéżym dla Naczelnika kliniki lékarskiéj pochopem, zalecania jak najmocniéj chorym i kollegom, użycia tych swojskich skarbów, które jeżeli nie wyrównywają wszelkim zagranicznym wodom, tedy zapewne wiele z nich, podobnych im z resztą, skutecznością swoją przechodzą. Jakoż już dzisiaj nie wątpionoby o tém bynajmniéj, gdyby zakorzeniony nie tylko u nas, ale niemal wszędzie przesąd, ceniący zawsze wyżéj obce, nad swojskie, i dalekie nad bliskie dobro, nie żywił ciągle téj wątpliwości i nie wyganiał rok w rok tyle chorych dla szukania zazwyczaj z wielkim kosztem i trudami pomocy od obcych bogów, którą nierównie łatwiéj, taniéj i bezpieczniéj u siebie znaleźćby mogli (*)."

Quanam forma aqua ivonicensis adhibenda?

Res est indubitata neque ulla indiget explicatione aquam nostram, multarum aliarum medicatarum instar aegrotis potui datam eficacissimam esse.

Portio singula infantibus anniculis bimulisque conveniens, calix est, ad duas vel summum tres uncias capax initio semel, hebdomada vero interiecta bis in die singulis horis ipsis propinandus. Quoniam vero infantes praesertim initio, propter odorem saporemque

(*) Tom V, str. 23 Rocznika Wydziału lekarskiego.

hujus aquae ingratum, bibere eam recusant, hinc ad eandem emendandam aequali lactis bubuli recentis portione remista et saccharo insuper condita illis praebeatur oportet. Accessiones istae vim medicatam aquae non deminuunt at hac ratione sensim infantes huic potioni assuefiunt. Portio quotidie epotanda est circiter unum vel summum 5 pocilla tres uncias aquae comprehendentia. Adultis (nisi tuberculosa pulmonum labe adfecti sint, vel teneri, feminis imprimis mollibus atque delicatulis) mera aqua danda est; et quidem hi initio unicum tantum idque mane bibunt poculum selibram capiens, post aliquot dies duo et plura ita tamen ne amplius 4 vel 5 poculis epotent. Optimum est si aegroti ieiuni aqua utuntur; attamen et ista lex non est sine aliquo discrimine. Nam qui imbecillum stomachum habent, hos aquam post leve jentaculum sumere juvat. Singula pocula singulis horis vel etiam semihoris ambulantibus haurienda, in apertis, dum sudum est, in conclavi cuius calor temperatus est, si tempestas turbida vel nebulae saluti hominum praesertim infirmorum insidiantur. Tum demum ientare licet. Ad id maxime idoneum et saluberrimum est lac bubulum cum pane siligineo. Ceterum aegrotis in hac curatione leves tantum assumere cibos neque multum corpus incitantes; in his legumina immatura saccharo scatentia, aliaque istius modi olera, item carnem elixam bestiarum cicurum, puta vitulinam bubulam

et ovillam, pullorumque cohortalium; contra vero abstineant cibis gravibus quaemadmodum panis vetulus durus, tubera solani, caro fumo siccata, imprimis pinguis, et iis qui vehementer commovent corpus, prouti dapes aromatis, imprimis zinziberi, pipere, bacis capsici et pimentae, item sinapi conditae caro sale indurata, al. s. Praeterea inutiles sunt cibi potusque acidi omnis generis, acores enim aquae ivonicensi magnopere adversantur. Cane vero pejus et angue omne vinum vitari debet, sive ex uvis expressum sit, sive adustum, etiamsi aqua et saccharo temperatum sit, quod autem tunc varia continet olea fragrantia. Idem etiam sentiendum de calda sinensi (quam vulgo theam vocant) si a vino indico vim calefaciendi acceperit. Caldam tamen arabicam (quae coffeae nomine venit) qua plurimi valdopere delectantur, ideoque aegerrime ferent, si ea carent, aegris hac aqua utentibus non subtrahimus, et quidem eo minus, quia incitatio quam affere potest, saccharo floreque lactis affatim temperari solet. Potatio aquae fontanae recentis plurimis saluberrima visa est. Optimum etiam est si aegroti relicta coena, in merenda acquiescunt. Tranquillitatem animi ad faustum curationis eventum necessariam esse cum multis medicis claris persuasum nobis est; quamobrem omnem vehementem animi commotionem, sed etiam nimiam ingenii contentionem ab iis qui hac curatione utuntur longe abesse optamus. Contra vero animum

aegrotantium quoquo modo relaxare juvat. Quae autem insuper leges aquam ivonicensem bibentibus observandae sint; accurate praecipere supersedemus qui tanquam communes omni huiusmodi curationi, in multis inveniuntur libris, quibus agitur de usu aquarum medicatarum, et victu cultuque tum salutari. Hic tamen silentio praeterire non licet, rem magni momenti quod medici aegrotos, qui ad aquas ivonicenses proficiscuntur, his lavari jubent, res tamen haec non tantum nobis supervacanea sed quadantenus etiam damnosa esse videtur, nam primum aquam istam per potionem sumptam sufficere ad morbos tollendos demonstrat proventus secundus eius modi curationum; deinde quo lentius in morbis longinquis sanationis opus perficitur eo tutior est futura salus; tum lavationes aquae ivonicensis longe minus efficaces sunt, quam potio; postremo aquae illius efficacioris, e fonte scaturientis, quem ideo iure primum appellarunt, non multum largitur natura, quam sortem iniquam cum fonte heilbronnensi communem habet, ut igitur iam satis sit eam bibere, effusio autem hujus eximii naturae doni juxta ipsum fontem, caritatem illi inferre, multisque facile egenis facultatem eripere potest, aqua ista saluberrima utendi, ideoque non solum imprudens est, verum etiam inhumana. Si autem lavari insuper aegrotus debet, tum vel in meram tepidam immittatur oportet, vel in eam, quae pro re nata salem popula-

rem, Kali sulfuratum vel aliud quid liquefactum continet, alias assa sudatio saluberrima erit. Hac ratione sine damno aegrorum Ivonicii aquis vires refoventium, his parcere licebit. Interiecto mense ex quo aeger aquam bibere coepit, per unam alteramve hebdomadam, haec ex toto circumcidenda est, ne naturae molimina ad morbum solvendum, quae tum consequi solent, turbentur. Hoc etiam tempore perfrictio quam maxime vitanda, idcoque aegrotus degere debet conclavi cuius aër tepet, tenuique fruatur victu. Si autem interea ad sanitatem non rediit, tum iterum aliquamdiu aqua utendum est.

Anni tempus usui aquae ivonicensis maxime opportunum est finis veris et initium aestatis. Si tamen morbus urget, praesertim si aegrotum in capitis periculum arcessit, tunc curationem in qua saepenumero spes ultima sita est, differre velle, summa esset imprudentia et temeritas; his igitur rebus quoquo tempore aegrotum illa aqua uti posse, per se patet. Ceterum propter salubritatem coeli ivonicensis ut taceam de mutata ibidem vita instituta, maximo non raro in domicilio aegroti impedimento, plus ex ea sperandum esse si prope ab ipsa harum aquarum officina adhibetur, Ivonicii per 4—6 hebdomadas commorando, unicuique liquet.

Literatura.

Biblioteka warszawska rok 1842.

Czerwiakowski J. R. Dissertatio de bromio. Cracov. 1833.

Graf Otto Dr. Das Bromkalium als Heilmittel. Leipzig 1842.

Jahrbücher der In- u. Ausl. gesammten Medizin von Dr. C. C. Schmidt T. 37, Nr. 1. Leipzig 1843.

Medizinische Jahrbücher d. k. k. öster. Staates herausg. von Dr. J. Nep. Ritter v. Raimann Jahrgang 1843 Jänner.

Przyjaciel ludu rok 1840.

Rocznik Wydziału lekarskiego T. I—V. 1838—42 Kraków.

Rzączyński Gabriel. Historia naturalis curiosa regni poloniae etc. Sandomiriae 1721.

Riecke V. A. Die neuern Arzneimittel. Stuttgart 1842.

Steskal J. V. de aquis muriatico-salinis dis. Cracov. 1839.

Sobernheim J. F. Dr. Deutschlands Heilquellen. Berlin 1836.

Torosiewicz v. Die Mineralquelle zu Ivonicz im Königreich Gallizien. Wien 1839.

THESES DEFENDENDAE.

OPPONENTIBUS.

Josepho Alex. Jaszczurowski Med. Dre scholae clinicae chirurgicae Adjuncto.
Francisco Brodowski Med. et Chir. Dre scholae clinicae medicae Adjuncto.
Josepho Oettinger Medicinae Doctore.

1. Color viridis alvi ex usu calomelanos, non ex hydrargyro pendet, sed e bile in ea abundante.
2. Tunica conjunctiva est membrana mucosa.
3. Crusta quae inflammatoria vocatur, non semper est signum vitae sanguinis vegetioris.
4. Tenotomia nil proficit in curvaminibus ex ossium vitio.
5. Pus completum non resorbetur.
6. Aqua Ivonicensis in morbo scrophuloso optimum est remedium.
7. Phantasia matris in foetus explicationem magnam vim habet.
8. Medici vita fruuntur brevissima.
9. Kalium iodatum tantum syphilidi secundariae medetur.



